



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singulos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

SS. Primus & Felicianus MM. 9. Iunii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

gregem recensentibus numerus nullo capite im-
 minutus apparuit. Ipse nihilominus pietatis suæ
 fructum præsentem tulit, aquilæ alis à pluviarum
 injuriâ defensus. De agrorum limitibus exarserat
 inter vicinos certamen, spectabatque res ad arma,
 nî puer litem finisset. Saxum enim medio reper-
 tum campo pede contigit, suumque velut in molli
 cerâ vestigium impressit, eoque prodigio limi-
 tem, vel ostendit, vel fecit. Eleutherio contuber-
 nali suo de mitrâ olim indipiscendâ oraculum de-
 dit, cui postea vates ipse successit. Defuncto cæ-
 lum faces funebres suppeditavit. Clotharius Rex
 Sandapilæ succollavit. Cùm tumulo inferretur,
 cælum diduci pandique visum, nempe ut melior
 MEDARDI pars eò cum triumpho inveheretur, ge-
 minæ columbæ itineris duces futuræ obviam pro-
 fectæ sunt: quibus tertiâ, quæ de Sancti ore egressa
 est, sese junxit. Has alas animæ simplicitas & mo-
 destia affixerunt: nos in Pavoninis superbimus.

Ex Surio.

*Felix promissio, ut postmodum in divino liberetur exa-
 mine, qui nunc subvenit egentibus in mœrore: Gloriosè
 mercatur, qui pro misericordia, quam pro pauperibus ex-
 hibet, totius Christianitatis continuam orationem pre-
 meretur. S. Pet. Dam. Opusc. 9. de Eleem.*

SS. PRIMUS & FELICIANUS MM.

9. Iunii.

PRIMVS & FELICIANVS cum Jove & Hercule
 falsis Diis, Diocletiano & Maximiano crude-
 lissimis Imperatoribus decertarunt, solâ adversus
 illos pietate, adversus hos patientiâ armati: cujus
 ut insignia documenta darent, Angelorum bene-
 ficio viam sibi ad fugam aperientiû noluerunt uti.

Bellaria

Bellaria tamen, quæ acerrimè verberatis allata cælo sunt, libarunt, ne viribus succumbentibus, levioribus, quam vellent, suppliciis defungerentur. FELICIANVS octogenario major cæstus, & suffixas unguibus subulas vultu immoto tulit: mentiente nihilominus, ut PRIMO fucus fieret, Preside, Felicianum tormentis cessisse, stultâ impudentiâ: cum Angeli nihil eorum, quæ acta fuerant, Primum ignorare paterentur. Ergo is quoque faces ardentes suo sanguine extinxit: liquatum plumbum (tanta erat patiendi sitis) velut fontanam bibit. Leones & ursi cum illis compositi nec animorum, nec corporum vim imminuerunt. Etiam securi cæfos muscæ canesque non ausi sunt contingere; tanta est virtutis etiam apud animantes estimatio. Utinam homines, qui soli tanti capaces boni sunt, & præmia noverunt, suis hæc animi decora momentis expenderent. Sed cheu, quam vili venditur innocentia! *Ex Surio.*

In hâc vitâ virtus non est, nisi diligere quod diligendum est: id eligere, prudentia est: nullis inde averni molestiis, fortitudo est: nullis illecebris, temperantia est, nullâ superbiâ, justitia est. S. Aug. Epist. ad Maced.

S. SYLVESTER CONF. 9. Iunii.

VEntura (namque hoc primum SYLVESTRO nomen erat) quo tempore Florentia a B. Jordanis ore tota pendebar, fulloniam illic exercuis, ipse etiam candidissimæ mentis. Quare facile locum in hoc Jordanis verba invenerunt. Sed retius illi eodem tempore visus in cruce Christus concionatus est, plagis suis semper ad misericordiam concitandam facundis. Certè semel illi visus cælestis Agnus nunquam postea mente excidit, sed